

tus vestri divinum quoddam in humanis rebus vel providen-  
dis vel decernendis eluxit ingenium; in hoc potissimum miri-  
fice effulgit, cum egregia prudentia, quam Henrici III. in suc-  
cessore pronuntiando consilium, quam sanguinis regii proce-  
rum consensus necessaria ad Galliae turbines discutiendos fo-  
rent, animadvertisit; omnesque sibi in utramque partem even-  
tus subjicit, quando regni illius conservationem sua interesse  
cognovit; quod ab ortus sui initio, vel præteritis successibus,  
vel mutuis rationibus, indissolubili vinculo cum Republica Ve-  
neta coaluit; neque quidquam ei adversi contingere unquam  
potuit, quin ad Venetos quoque ipsos redundaret. Ac licet  
ab externis Principibus nobilissimo regno innumeris pene mo-  
dis struantur insidiae; sanctissimo religionis velo, inquis con-  
siliis atque conatibus prætexto, societas parent; quatere ac  
prosternere Regem nitantur: attamen, Deo juvante, propria  
virtute innixus, constans immotusque manebit. Non illi ad  
se tuendum vires cum domesticæ tum externæ deerunt: au-  
xilia Anglorum, Germanorum subsidia aderunt: ab adver-  
sariis opprimi se non patietur: minime se deseret; nihil in-  
tentatum prætermittet; quamvis ingenti animi molestia jam  
tum præsagire sibi videatur, quot inde damna, quot clades  
christiane reipublicæ impendeant. Verum in Deum Optimum  
Maximum justi atque æqui parentem ac protectorem cuncta  
consilia spemque rejicit, opem illius summa fiducia expectans,  
ut tandem post tot procellas ac tempestates quassatam agita-  
tamque ratem incolumem portus excipiat. Ad hæc perficienda  
baud parum sapientissimi istius Senatus auctoritas juverit,  
qua procul dubio frena aliorum Principum consiliis quodam-  
modo injecta sunt, qui prudentissimæ ejusdemque catholicæ Re-  
publicæ exemplum conspicientes, hærebunt animis, neque adeo  
præcipites ad ea se demittent, que per pietatis speciem ambi-  
tioni immodicæque aliorum cupiditati gradum faciant: quod  
sane accidisset, nisi vestra prudentia reliquis faces prætulisset.  
Ac demum quis novit, an non opportune hujuscemodi decreto  
Reipublicæ quieti egregie consultum sit? alioqui multis proposi-  
tis conditionibus illiciendæ, ut sensim nonnullorum consiliis ir-  
retita, inexplicabilibus sese nodis abstringeret, gravique Gal-  
liae, Italiæ, reipublicæque christianaæ jactura, aliorum magni-  
tudi-